

Horum quinque firmo muro cincti sunt, in quo septuaginta septem editæ turres assurgunt. Maxima hujus civitatis vis est in maritimis expeditionibus, ob navium multitudinem & robur. Fidem facit, quod anno 1588 in formidabili illa classe, qua Angliam invadere decreverat Philippus Hispaniarum Rex, tredecim fuere Portugallia, qua Zabræ, qua Galeones, inter quas eminebat Galeon S. Martini, qua Dux Medinæ vehebatur, & milites mille; & S. Ioannis, qua octingenti milites; & denique S. Matthæi, qua sexcenti. Armamentaria habet plurima, omni bellico apparatu instructa. Cæterum in civitate Olyssiponenſi quadraginta sunt parochiæ, quæ à nostra *Señora de Olivis ad nostram Señoram de Vnda*, duarum leucarum intervallo continentur. In quibus parochiis, ratione superioribus annis accurate subducta (peregrinis omnibus exceptis atque advenis Portugallis nequaquam annumeratis) fuerunt supra viginti novem millia familiarum; & centum & decem mille & octingentæ animæ; præter trecentos clericos in eisdem ecclesiis ministrantes. Sunt in eadem viginti monasteria religiosorum, in quibus variorum ordinum monachi mille trecenti sexaginta quinque; & octodecim religiosarum virginum, in quibus itidem variorum ordinum monachæ mille octingentæ & triginta.

In macello Olyssiponenſi quotannis macantur undecim millia boum, centum millia ovium, quindecim millia caprarum. ita ut vectigal carni in macello veneuntium in annos singulos locetur quinquaginta quinque millibus ducatorum. Portu claret famosissimo, quem Tagus efficit, qui quindecim aut viginti milliaribus maximis navibus navigabilis est. Porro Lisbona in sedem Archiepiscopalem evecta est à Bonifacio IX P. M. anno salutis nostræ 1390, petente Iohanne I Portugallia rege; Archiepiscopus vero suffraganeos habet Episcopos in Portugallia Combricenses, Lerienses & Portalegrensem, præter septem in Africa & America alios; possidetque redditus annuos 40000 ducatos.

Inter Civitatem hanc & Cascais quinque leuc. intervallo sex sunt arces; quarum prima, munitissima & splendidissima, est Belem, in qua multæ machinæ bellicæ dispositæ.

Secunda maxima, multique propugnaculis & machinis instructa, arx S. Iuliani, ad ipsum Tagi æstuarium, ubi mari miscetur; in qua septuaginta majora tormenta bellica, & præsidium quadringentorum militum.

Tertia quæ *Cabeça Secca* dicitur, in medio æstuario, situ à natura munitissimo.

Quarta arx S. Antonii, à monasterio ejusdem nominis illi vicino sic dicta.

Quinta denique in oppidulo Cascais, omnibus rebus ad propulsandas hostiles naves abunde instructa.

Braccara Augusta, nunc *Braga*, ad fluvium Cadavum, quinque à mari Oceano leucis sejuncta sita est civitas, Metropolitana sedē jam ab anno 1067 conspicua, Archiepiscopo suo tam in temporalibus quam spiritualibus parens, & cum Toletana ecclesia de Hispaniæ Primatu jam multo à tempore certans; Præsuli suo 40000 ducatorum annuos confert redditus; celebrantur ejus incolæ, præsertim sequioris sexus, ob heroica gesta & victorias sæpius à Romanis relatas. Territorium circumvicinum frumenti, vini, fructuum, olerum, leguminum, ferinæ carnis, pecorisque admodum ferax est.

Ebora sita est in medio regionis Trans-Taganæ, in loco campestri situ paulum elevato & plane amœno, in planitie ab impendentibus undique montibus cincta, qui densis venustisque nemoribus ornati sunt, campi subjacentes fertilissimi, utriusque argenti fodinis excellentes: præterea eam illustrat Academia magis litterarum splendore, quam antiquitate conspicua, utpote quæ Henrico Cardinali Infanti Lusitaniæ, Præsuli suo, ortum suum debet ab anno 1559. Archiepiscopali quoque sede est incluta, quam dignitatem satisfaciens petitioni Iohannis III, Portugallia Regis, in eam contulit Paulus III, P. M. constituens primum Præsulem supra laudatum, D. Henricum Cardinalem Regis dicti germanum.

Coimbra civitas septem Portugallia Regum Partia, ad fluvium *Mondego* dictum, qui duas urbis partes pulcherrimi operis ponte conjungit, octo ab ejus ostio leucis loco amœnissimo sita, undique olivarum sylvis vinetisque cincta. Academiam habet percelebrem, & omni genere litterarum clarissimam huc Olyssipone, tertio & ultimo translata à Rege Iohanne III, anno 1553. Præterea Episcopatus dignitate gaudet, Episcopo luculentos 40000 ducatorum annuos redditus conferens.

Porto civitas, à qua toti Regno nomen, ad Durium fluvium, non longe ab ejus ostio, delictis abundantem, fructuum aliarumque rerum necessariorum copia refertum situm occupat, portu tuto & fida navibus statione conspicua, unde à variis mundi nationibus frequentari solet: inhabitant eam 4000 civium, amplissimis privilegiis ab Alphonso V, & Ferdinando I Castellæ Regibus, & Iohanne I, Portugallia Rege, dotati: Episcopum habet, cujus redditus annui sunt 15000 ducati.

Viseo, Eduardi Portugallia regis Patria dignissima, in planitie amœna fructiferis arboribus undique confita, hortis referta, omnibusque rebus ad victum necessariis abundanti sita est. Episcopali sede nobilitata, e qua Præsul percipit singulis annis 16000 ducatos; porro & Ducatus est caput à Proceribus regio sanguine oriundis possessi.

Lamego non longe à Durio fluvio in territorio, vini generosissimi, cujus plures provincias facit participes, abundantis sita est civitas, Episcopum habens, cujus redditus annui 18000 ducatorum summam attingunt.

Guarda aspero & difficili in loco posita, muris fortissimis cincta, castro spectabili defensa, à D. Sancio I, Portugallia Rege, ut propugnaculum contra Legionensium fines extracta est anno 1199: in hanc Innocentius III, P. M. Episcopatum Igditanensem transtulit, unde & hujus Ecclesiæ Præsul usque ad hodiernum diem Igditanensis nomine utitur: percipitque è dieceſi sua 22000 ducatos annuos.

Miranda haud procul à Durio fluvio rupi imposita, arce spectabili ornata, in Episcopatum erecta

Transtagani casei commendatissimi: poma & mitiora & inter omnia succi & viriditatis tenaciora; solum universum valde crassum ac pingue: in hac item provincia pretiosissima secantur marmora. *Secunda* appellatur *Esfremadura*, quæ ad mare quidem à Cascais pertinet ad Mondego; intra continentem autem linea imaginaria clauditur ab Abrantes ad Coymbre pontem, tenetque in longitudine 35 leucas, in latitudine 18. ejus caput est Vlyſippo, & feliciorum in Lusitania tractum occupat, in quo omnia, quæ terra profert, videntur laudatissima: ad hanc spectat provinciam Scalabitanus ager, qui cum Siciliensi potest tam pecoris, quam fegetis ubertate contendere. Magnam ulterius producit olei copiam, quod in septentrionales provincias & in Lusitania vestigales quotidie navibus transportatur. Vlyſipponem solum est uberrimum; quod ibidem fertur triticum à Transtagano parum abest. Vina ad Tagi ripam celeberrima: prope fluvium multæ sunt salinæ. Ex Cetobrica & Salacia lectissimum in varias regiones mittitur sal, nec tanta umquam copia exhauritur. *Tertia* dicitur *Beira*, atque à Coymbra excurrit ad Guardam, continetque totam illam regionem, quam vocant Ribeira de Coa. longa est leucas 34, lata, si numeres ab Aveiro ad Tourores, 33. Cæterum regio est amœnissima, ob fluvios, qui eam pluribus locis interfecant; frumentum suis quod incolis sit abunde tellus profert, fecale & milium edit felicius; vinum est locis aliquibus maxime pretiosum. Ob aeris temperiem & amœnitatem plurima diversi generis poma educat: mala, quæ obinstam toto anno viriditatem, appellamus *Verdeais*, mittit in reliquam Lusitaniam laudatissima. immensam prope castaneorum creat vim, qua vulgus inops follet vicitare; toto siquidem anno illam & mollem servant & fumo duratam. Magnos alit ovium greges ad montis Erminii radices, qui in magnam regionis partem dum excurrit, plures ex le fluvios emittit, & pascua assiduo irrigatu præstat pecori peraccommoda. In fluminibus (valde scilicet frigidis) troctæ sive tructæ, genus piscis suavissimum, captantur, ex tota Hispania celebriores. *Quarta* inter Durium & Minium extenditur, pertingitque ab oppido Porto ad Valençam super Minium; longa leucas 18, lata 12, ubi latissima: nonnusquam tantum octo. Exiguo hoc spatio monasteria habet centum triginta, opimis redditibus dotata; & mille quadringentas sexaginta Ecclesias parochiales, præter Bracarensem metropolitanam, & Episcopalem Portuensē. Plus quam quinque mille fontes perennes habet, portus sex, pontes saxeos ducentos. Est purum hic cœlum & salubre, & solum adeo mite ob perennes aquarum fontes, ut mirum in modum hominum soboles nutriantur: mulieres ad quinquagesimum usque annum filios edunt, qui cœli, ac solis benignitate ferme incolumes educantur, & ad longissimam senectutem eandem ob causas ætatem agunt. Vnde in qualibet ferme domo maritali ad viginti & quinque liberos inveniunt; ex quo innumera hominum coalescit multitudo, ut superiori ætate videre fuit, cum militaris census ex more per Hispania.


singulas fiebat provincias Lusitania; tunc enim Barcelorum in finibus (oppidum est Interamense) duobus & triginta sub signis, armatorum millia septemdecim censa fuerunt. Incolæ triticum aliquibus ferunt in arvis; cæteroqui fecale & milium ab insita terræ vi colligunt abundantius. Pomis cujusque generis est uberrima: pascua carnem ex universa Hispania teneriorem & gustui jucundiorum: ora maritima pisces præstat delicatiorum. Vvæ altis ex arboribus suspensæ magnam vini edunt copiam, non illud dulce quidem admodum & pretiosum, sed quod alendæ plebi sit abunde. Venationi & aucupio est maxime opportuna, alitibus enim, sylvarumque animalibus abundat; neque aliunde canes venatici, aut volucres rapaces sunt quærendæ; utrumque enim nec ignobile tellus præstat. Ita denique regio ista aspectui est jucunda, hominum usui utilis & accommoda, non eam non merito mortalem paradysum possimus nuncupare; in illa siquidem toto anno vernantes flores invenies, quasi ver primum semper efflorescat; unde Strabo Lusitaniam solum fortunatum appellavit. *Quinta* appellatur Transmontana, à fluvio Tamaga ad Episcopatum Mirandæ extensa, longitudine 30 leucarum, latitudine viginti. Contium civitates & Brigantium complectitur, & illustra aliquot oppida; vini, olei & pecudum satis ferax. *Sexta* regnum Algarbiæ, quod à Ceixe pertingit ad Castromarinum, è regione Ayamontii; longa 27 leucas, lata 8, ubi longitudo & latitudo maxima; de eo infra fusus.

Complectitur novendecim civitates, & multa ac grandia satis oppida. Civitatum tres sunt Archiepiscopales, *Olyſippo*, *Braga* sive *Braccara*, & *Ebora*. Novem Episcopales, *Coymbra*, *Porto*, *Viseo*, *Lamego*, *Guarda*, *Miranda*, *Portalegre*, *Elvas* & *Leiria*: reliquæ septem sunt, *Bragança*, *Beia*, *Idanha*, *Tavila*, *Lagos*, *Fares*, & *Sybre*; quarum quatuor posteriores sunt in regno Algarviæ, & sub uno Episcopatu comprehenduntur.

Metropolis est *Olyſippo*, hodie *Lisboa*, ad ripas Tagi fluvii sita, septem leucas ambitu suo complectitur, viginti duas portas ad ripam fluminis, & versus terram sexdecim turres septuaginta septem mœnibus collocatas habens: cæterum est septem satis altis montibus superstructa, quorum non modo convalles, sed & clivos occupat. Primus est S. Vincentii ad Orientem, qui Maurorum temporibus extra civitatem fuit. Secundus mons ad Occidentem est prioris, ad portam S. Andreæ ascendens. Tertius, qui altissimus, & undique præceps, munitissimum habet castellum, altis turribus & muris cinctum. Quartus dicitur S. Annæ, estque triangularis formæ, & medius inter Castellum montem & S. Rochi. Quintus est S. Rochi, qui à porta *Do Onro*, secundum vallem, quæ media est inter ipsum & montem Castellum sensim ad S. Rochum ascendit, rursusque per angustam vallem ad ripam fluminis descendit. Sextus mons dicitur vulgo *das Chagas*, id est, quinque plagarum Domini: propter Ecclesiam quam hic nautici homines ædificaverunt, qui nempe in Indiam navigant. Septimus est S. Catharinæ montis Sinai, qui versus Occidentem à sexto amplissima valle divisus.

M m

Horum



PORTUGAL-
BLAVE c. 1620?

Composto em 30/11/92 na Ma. H. G. CIRDO em Lisboa

70 x 150,00 x 45.000